

Handwritten note in red ink at the top of the page, partially illegible.

8.

72.

VALEDICTIONI SCHOLASTICÆ,

UT

DIE CRASTINO

H. L. Q. C.

INTERESSE DIGNENTUR,

VENERANDOS DNN. INSPE-
CTORES, PATRONOS, FAVTORES-
QVE STUDIOSE IUVENTVTIS

HIS LITERIS

OFFICIOSE AMANTER QVE

ROGAT

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/R.

CYGNÆ,

LITTERIS IOH. DAV. FRIDERICI



Hist. Saxon.
H. 756,27



Næde Mariana Cygneæ nostræ effigies lapideæ visuntur, ea forma tergemina, quam ære expressam in principio hujus intimationis ponendam curavi. Variis hæc res interpretationibus exposita fuit hæctenus. Schmidius, Chronici Cygnei conditor, Triglam, Venedorum Deam, adumbrari putat, eo consilio, ut posteri scient, quam fœdis idolis Cygnenses quondam operam dederint, atque ut sacra Christianorum a profanorum hominum insania pie grateque internoscerent. (1) Hanc Deam Dav. Nerreterus tribus distinctis capitibus & collis, cum duobus brachiis, & in medio pectoris luna corniculante, repræsentat. (2) Eaque potissimum Brandenburgi Marchicorum, neque minus Stetini, & Iulini Pomeranorum (ubi hodie VVollinum,) colebatur. De quo Lindenbrogius, quod celebre apud Venedos idolum fuerit Triglass, i. e. Trigla, cui in monte, Hartungerberg nuncupato, templum extruxerint, quod lapsu temporis, pulsa idolorum fœditate, cœnobio Ordinis Præmonstratensium fuerit dicatum. (3) Copiosius paulo Sabinus de patria sua, Brandeburgo: Nihil, inquit, utramque tam ornat civitatem, ut illud templum B. Virginis, quod Imperator Henricus Auceps extruxit. Eo in fano stabat triceps idolum, Trigla dictum, quod olim Venedi summa veneratione coluerunt. Id Dianæ fuit simulacrum. (4) Huius Triphat (ita vocat Triglam) ibidem aliquot lignea idola suo ævo reperta esse Ern. Brotuffius memorat. (5) Ipsam tamen Triglam Christiernus, Danorum Rex, cum exul esset, secum abstulisse dicitur. Dianæ consecratam aiunt; facile largior, antiquitatis etiam calculo commotus. Trigla, Græce τριγλα, vel iuxta Suidam, τριγλις, (6) τριγλη (unde & Trigle, ut αἶγλη, Aegle, dicendum esset,) est certum piscis genus, (7) quem Romani vocabant mullum, & autore Aristotele (8) ter parit anno; gregalis, ferratis dentibus, punctis maculosus, carnivorus; sterilefcit post annum tertium, vermibus, qui fœtum conceptum absument, in utero genitis. Ex triplici partu ternorum annorum sine dubio nomen Trigla sortitus est. Et quoniam virilia dedignatur, hinc Dianæ, perpetuæ virgini, sacer, atque ob affinitatem Hecatæ tribuitur; inde Hecate Trivia, Trioditis, τριγληνος s. Triglena, cui trigesimo cuiusque mensis die cœna apponebatur. Et Dianæ, & triglæ fuga virilium est; huic antipathia naturali; illi destinato virginitatis cultu. Quid? quod olim Hecatæ s. Dianæ triglam sacrificarint, secundum Apollodorum, (9) ob nominis congruentiam, quia τριμορφος, τριπρόσωπος, ut loquitur Chariclides, triformis ac triplici facie; item Triviæ nomine notabilis sit Diana, quæ nomina etiam ad Triglam quadrant. Nominis, Triviæ, ratione ducti τριγλαν i. e. piscem mullum
Dianæ

(1) Part. I. p. 359. Chron. Cygn. (2) im Jüden und Heyden Tempel. (3) In vita Caroli M. (4) De Brandeburgo, Marchiæ metropoli. (5) In Chronico Martisburg. (6) Voce τριγλέων. (7) Hesi- chius in Lexico sub τριγλα. (8) l. 5. de Animalibus. (9) De Diis.

Dianæ dedicarunt. (10) Vel iuxta Melanthium, (11) quia Hecate etiam fit marina, ut piscis trigla; Vel iuxta Hegesandrum Delphum, quod mullus Deæ venatrici proprius dicatur; siquidem leporem venenatum ac mortiferum in mari strenue prosequatur & conficiat, hoc modo salutis humanæ non parum consulens. Quare idem nomen triglæ, & loci Atheniensis, & Dianæ fuit, observante Eustathio. (12) καὶ τόπος τις Ἀθήνησι τρίγλα ἐκαλεῖτο, καὶ ὡς ἀνάθημα ἦν ἐκεῖ τρίγλα-θίνη ἑκάστη, i. e. & locus quidam ipsis Athenis erat, qui dicebatur Trigla, & statuam Hecates Triglathinæ habebat. (13) Et sic ipsa Diana Triglæ nomen gerebat. (14) Tribus autem capitibus (τρίκεφαλος stilo Orphei; ideo triceps Ovidio, Dea triplex Cassiodoro, τρισσοκέφαλος Minucio Felici, Tergemina, cui tria ora sint, Virgilio introducit) prædita, dextrum equinum, sinistrum caninum, medium suis agrestis, aut ut alii volunt, hominis rustici, potius apri exhibebat; eaque tum ob equinam velocitatem; luna enim brevi temporis spatio cursum suum absolvit; tum ob caninam occultationem, quia luna sæpissime se recondit; tum ob aprorum in sylvis habitationem: Nam & Diana saltibus ac sylvis inerrare fingitur. Mythographi terna ipsius capita ternis regnis, quæ possideat, accommodant. In cælo enim collocant, ut præsidem aëris; in terra, ut gubernatricem sylvarum, montium, venatorum; in inferno, tanquam fœderis Plutonii sociam. Id quoque scite reddidit Prudentius: (15) Cum luna est (Diana) sublustri splendet amictu: Cum succincta iacit calamos, Latonia virgo est: Cum subnixa sedet folio, Plutonia coniux imperitat Furiis, & dictat iura Megæra. Elmenhorstius trinam vocat, quod eadem mater Deum, Proserpina, Terra, vel Vesta, credatur. (16) Phornutus, quod tres formas generalissimas ostendet, modo curvata in cornua, modo æqua portione divisa, modo sinuata in orbem. (17) Chartarius, (18) quod trivis præfesset; vel propter triplicem eius virtutem; cum influxu suo rebus accretionem præbet, ideoque & candidis auratisque vestibus induebatur, accensæque faces ei in manus tradebantur; cum medium habet lumen, quæ ratio significabatur calatho, quo sacra ei offerebantur; cum ad plenissimum pervenit, quod subobscuris vestibus simul innuebant. Sed quomodo Trigla Dea hæc tandem in Germaniam venit? Respondeo paucis. Sub persona Ifidis Trigla ab Ægyptiis culta fuit. Postea transmigravit in Græciam, Trigla appellationem adeptæ. Inde in Italiam navigavit, & Dianæ notione in honore fuit. Postremo & Germanicas attigit oras, præsertim maris Balhici, & Vandalorum, aut potius Venedorum gentes religione sua imbutas afferuit sibi. Ante Iul. Cæsaris & Taciti tempora id quidem non accidit. (19) Postquam vero Græci Massiliam transvecti Gallorum: Inde usque Galli, qui a Græcis Massiliensibus imagines Deorum iam Cæsaris ævo habuerunt, ad vicinos Germanos, a formis ac figuris Deorum antea abhorrentes, paulatim traduxere. Quid autem Romanos nominem? Cum Germanos vincere maximum decus haberetur Romæ, & de titulo Germanici vehementi æmulatione certaretur, quem Drusus, Claudius, Traianus, Domitianus, Vitellius, Iulianus, Galienus, Caracalla cupidissime assumerunt. (20) Quemadmodum igitur Romani victores in Germania sæpe nova numina admiserunt, vel ex metu proprio, vel quia gratiam novi populi captarent: uti in Valacrorum lapidibus Romanos milites, præsidium illic agentes, Nehalenniæ non Romano numini, sed Deæ loci consecraverunt: (21) sic Germanici populi, quos aut commercia cum Quiritibus, aut victoriæ ad propiorem cum Quiritibus notitiam invitavere, id dedisse potuerunt bellatricis nationis dignationi, ut avita Numina non

(10) Phornutus de nat. Deorum p. 90. (11) De mysteriis Eleusinis. (12) Ad Hom. II. v. (13) Meursius Att. lect. I. 4. c. 30. (14) Athenæus Deipnos. I. 7. (15) Contra Symmachum. (16) Commentar. ad Octav. Minuc. Felicis. (17) I. c. p. 89. (18) De imag. Deorum. (19) v. Cæs. de bell. Gall. I. 6. Tac. de mor. Germ. ubi de Germanorum religione agunt. (20) Althamerus pag. 435. Comment. in Tac. Germ. (21) Schuld. de Caucis. I. 2. c. 1.

non tantum nomine victorum redderent, sed & victorum Numina tanti æstimerent, quæ Deorum suorum in numerum reponerentur. Græcorum porro apud Germanos vestigia nonnulla assunt, exempli gratia, in Hassia templa Græcis literis inscripta, in Alsfeldia hsdem characteribus signata statua, idolorum imagines Græce insignitæ, ad ætatem Caroli M. durantes, Francorum Sacerdotes Græco sermone utentes. Denique Isidis Ægyptiacæ reliquias quasdam præ se ferunt loca inde deducta, ut Isenburgum, arx antiqva Lüneburgensium, Isus fluvius in tractu Brunsvicensium, Ises quidam pagi, Iseschnippe Garlebien- sis, Isenburga, Islebia, Isenacum. Quamquam Albinus huiuscemodi nomina a Germanico Eisen derivat, (22) & Vossius, in contrarium tendens, Isis ab Hebræo Ischa, virago, ductum existimat. (23) Neque nihili censendum, quod Suevi Germanorum Liburnam navem, ut est apud Tacitum, divino cultu prosequerentur, hanc veram Isidis imaginem esse sibi persuadentes. Isis videlicet, Ægyptia Diana, abrotonum sinistra, dextra naviculam gestabat, quo, ni fallor, eius in Ægyptum adventus declarabatur, ubi & festi quidam dies naviculæ Isidis erant instituti. (24) Accedit, quod Isidis Germanicæ, seu Venedorum Triglae venerationem auxit; quod, sicut Ægyptiæ illius Deæ honor increvit per Nili incrementa, illuminationibus lunæ quodammodo respondere visa; ita Germani Lunæ Numen suspexerint magis, quia, hac plenius se exerente, mare turgidius observantes, precandam sibi imprimis eius astri clementiam crediderunt, ne ab oceano in immensum aucto contegerentur, naufragiove perirent. (25) Huc respexit Historicus de Germanis explicans: Coeunt, inquit, certis diebus, cum aut incoatur luna, aut impletur. Nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt. (26) Quippe vices quoque oceani ad lunæ incrementa & decrementa recurrunt. (27) Triglam igitur, trium capitum statuam, eo libentius receperunt in Germania; quo frequentius eiusmodi multorum capitum idola diligenterentur, ut in urbe Arkon Insulæ Rugiæ ingens in æde simulacrum, omnem humani corporis habitum granditate transcendens, quatuor capitibus totidemque cervicibus mirandum stetit. (28) Slavi Deos quosdam duobus, vel tribus, vel eo amplius exsculpunt capitibus. (29) His ita positus, dico, Cygneas imagines, de quibus præsens dissertatio est instituta, non esse Triglas, aut Triglarum exempla (pace tamen diligentia Schmidianæ dixerim) Trigla enim tria seiuncta habuit capita, ut demonstravi iam, & liquido adhuc cognoscitur tum ex testimonio Stephani, (30) fuisse in fano Stetinenfi simulacrum triceps, quod in uno corpore tria capita habens, Triglass vocitatum sit, attestante Andrea Abbate; tum ex accurato S. Othonis Episcopi examine, qui simulacrum illud destruens, ipsa capitella sibi cohærentia, corpore comminuto, secum inde pro tropæo asportavit. (31) At duæ formarum Cygnearum, ut ex typis apparet, non tria capita, sed tantum tres facies sistunt; tertiæ vero tricripites vultus, paulo post explicabo. Triglam in tribus capitibus sex oculos habuisse vero simile est, totque Nerreteri in iconismo deprehenduntur. (32) At Cygneæ icones trium facierum in duabus, prima & secunda; trium capitum in una, nempe tertia, quatuor saltem in singulis exhibent, cum vultus ita complicati sint ab artifice, ut medius ambos oculos cum reliquis collateralibus communicet. Similem fabricam decem facierum, quarum quinque barbatus, totidem imberbes, coniunctas & integras, describit Gorlæus, (33) quæ, quamquam quatuor solum oculis utantur, ad liquidum tamen conspiciuntur, modo invertas. Idque inventum Gronovius a Pausone deducit pictore, qui suscepta pictura equi volantis, currentem pinxit. Cum-
que

(22) In der Meißn. Chronick. p. 308. (23) De Idolol. gent. lib. 1. c. 38. (24) Chartarius l. c. p. 81. (25) Schild. l. c. 1. 2. c. 2. (26) Tac. de mor. Germ. (27) Scalig. D. emendat. temp. l. 2. d. Cyclo lunari vet. Saxonum. (28) Saxo Grammat. Hist. Dan. l. 14. (29) Helmoldus in Chron. Slav. l. 1. c. 83. (30) In Notis ad Saxonem. (31) In vita Othonis c. 30. (32) l. c. (33) In Dactylitheca n. 668, & 669.

que is, qui locaverat, pacto satisfieri negasset, iussit ille, tabulam inverteret. (34) In tertia figura cæmentarius sex ponere potuisset oculos, nisi vel imitari voluisset cæteras, vel id evenisset ei, quod Serlius, magister Architecturæ peritissimus, conquestus est: Complures, qui operum ordine & conditione nequaquam perspecta, sed vulgo tantum gratificari studentes, sculpturarum multitudinem citra ullum delectum in omnibus adhibere consueverunt, & tam Doricas extruções, quæ operum gravitatem soliditatemque requirunt, quam Corinthii generis ædificia, quæ propter eorum molliorem & teneriorem proprietatem, ornamentorum complurium varietatibus gaudent, sculpturis complent atque referciunt. (35) Trigla numen fœmineum. Haud ignoro, Lunam Caucorum posteros, annotante Schildio (36) pro Numine fœminino habere, reliquos Teutonum pro virili efferre solere. Tametsi enim variato, & sic etiam virili habitu indueretur Diana; velut per tractus Mesopotamiæ utroque fœminino & masculino colebatur: (37) Idcirco tamen nec sexum, nec vultum fœminarum mutabat, nec mutare poterat. At Cygneorum hæcenus falso creditæ Triglae facie prorsus virili undiquaque spectantium se oculis, & media quidem barbata, fœminis inconveniente, ingerunt. Trigla Venedorum lunam tenebat brachiis, tanquam peculium suum, ad indicandum Dianæ statum atque officium. Cygneis vero imaginibus nihil tale appositum cernitur; quod tamen, Triglae proprium, abesse haud debebat. Sique in his sola capita, non etiam corpus pectusue expressum extet; nihilominus par erat ex Mythologorum calculo, istac lunæ facie certe frontis summa exornata insignitaque conspiciari. Nihil crebrius, quam Dianam lunatam in vertice, offendere, e. g. inter numismata populi Rom. apud Patinum p. 6. in nummis Agrippinæ, pag. 85. Neronis, pag. 88. Hadriani, pag. 155. Severi, pag. 226. Getæ, pag. 253. 255. Gordiani, pag. 298. Philippi filii, pag. 309. Gallieni, pag. 324. 328. Saloninæ pag. 331. (38) Talis Diana falcata cum arcu asservatur, in nostra Bibliotheca, ex liberalitate B. Freytagii, Lycei Schneebergensis quondam Conrectoris bene meriti. In Cygneis autem frontibus eiusmodi nihil. Videamus & alia, quibus nostra sententia confirmetur. Tantum enim abest, ut Schmidius nobis persuadeat, quod tamen maiusculis literis describi fecit, quia arcem causæ suæ, Triglae videlicet apud cives Cygneos venerationem, sibi diligenti, sed nondum probata cautione præmuniendam existimavit, Triglam hic terrarum in summa veneratione fuisse: ut etiam de habitatione Venedorum, saltem diuturna, in iisdem, seorsum in hac urbe Cygnea, merito dubiteretur. Venedos inter Anhaltinos habitandi locum sibi fecisse, (39) Sorabosque eam portiunculam Misniæ tenuisse, quæ a Sala incipit, & ad Muldam extenditur, & quam Elister annis præterlabitur, ubi Lipsia & Pegavia, relatum legimus. (40) Præterea semper istæ gentes, ob fastiditam contemptamque religionem Christianam, Imperatorum odiis se exposuerunt. Inde tot bella, tot prælia, tot præliantium funestæ clades. Recensebo summas rerum. A. Chr. 101. cæsi trans Albim a Francis, Thuringis & Saxonibus Venedi & Sorabi. (41) A. 451. ad Salam quidem arma transtulere, sed A. 640. ultra Salam Albimque reiecti, Duce Beringero Ballenstetensi. A. 806. fusi ad utrumque fluvium, a Carolo, Caroli M. filio, sociatis VVittekindi Saxonis auxiliis, nolentesque fidem Christianam amplecti, ultra Albim repulsi. A. 815. in potestatem ab Imperatore Ludovico redacti, rebelles contra nomen Christianum. A. 880. vires Marchionis Popponis ingenti cum vulnere suo persenserunt. A. 889. Profligati ab Arnolpho, A. 927. ab Henrico Imp. A. 983. ab Ottone II. quo imperante 30754. cecidisse perhibentur. A. 1022. magnis animis

(34) In Explicationibus Gorlæi. Ælianus. Var. Hist. l. 4. c. 15. (35) De Architectura l. 3. pag. 190. (36) l. c. l. 2. c. 1. (37) Patinus de Numism. Imp. Rom. (38) l. c. (39) Hist. Anhalt. P. 1. c. 4. (40) Althamerus l. c. pag. 330. (41) Spangenberg Overschurth. Chron. cap. 9. l. 1.

animis contra eos itum est, Henrico, Duce Brunsvicensi, A. 1053. & 1056. & iterum A. 1107. Alberto Urso. (42) Præcipue Lotharius Imp. prostrato idolo Venedorum, passim Evangelium stabilivit, & Henr. Auceps A. 931. post constitutum Marchionatum Misnensem sacra Christi ubique victor disseminavit. Huius fortitudinis non ultima laus debetur Cygneis civibus, iaculandi maxime tum arte exercitatissimis. Schvvanhildis enim, a qua tractus huius viciniae das *Schwanefeld* dictus, Carolo M. & alias cives Cygnei Carolo Iuniori contra Venedos adfuisse feruntur. Quis ergo Triglam in hanc civitatem receptam? Quis divino cultu honoratam crederet? A. Chr. 1383. & 1403. Cygnea tantum non fatali deflagravit incendio. Quo tempore templum Marianum arctum ante, nunc pro ratione loci satis extensum augustumque, circa annum 1453. ut inscriptio ianuae versus meridiem docet, ad 1470. e suis rudibus surrexit. (43) A. 1506. ad 1517. parietes versus septentrionem deiecti, denovoque excitari, & hinc ad A. 1536. templum fornicibus diductum in amplius legitur. Iam vero non est credibile, viros pios, quales eo tempore Cygnea aluit, sicuti multis documentis hoc compertum habemus, passuros fuisse, ut idolum tam furiosorum hostium inter Christianos, bis in æde sacra, & semel extra eandem, omnium luminibus exponeretur; præsertim cum Otto Episcopus Triglam illam Brandeburgicam Honorio Papæ, in perpetuam rei memoriam, dono miserit, Venedorum extincta omni idololatria. Nec Episcopus (magna enim severitate Episcopis iam dudum iniunctum erat, ut superstitiones paganas ubique radicitus extirparent) (44) neque Clerus, neque Senatus Cygneus hoc sibi probrum obiectari siverent, conspici apud posteros eo loco monumenta tria idoli veteris, qui sacris Christianis dicatus, quique singulari nota inscriptus esset: Im. Iare. Chr. MCCCCCVI. Sonntag. Exaudi. ist. gelegt. der. erste. Grundstein. als. diese. Kirch. aufs. nev. angefangen. diese. Zeit. die. Erbaren. Michael. Rang. und. Urban. Thiem. Burgemeistere. Hans. Jacob. und. Kuntz. Knoblock. alter. Leut. gevvest. Quare exulet ab hoc sacrario purgamentum Triglam Dianæ Germanicæ, neque in partem honoris ac memoriæ veniat, quod ab oculis animisque nostris remotissimum esse debet.

Fortassis autem, ut nonnullos interpretari audio, facies hæ excusæ ipsam SS. Trinitatem adumbrant? Nec hoc mihi quisquam persuadebit, nec ego cuiquam. Fateor sane, Thomam quendam Phorcensem, ut editio anni 1503. seu Badensem, ut editio anni sequentis eum vocat, cum Evangelistarum argumenta per imagines esset explanaturus, in Iohannis argumento primo: posuisse aquilam, cum capite rostrato, & aliis duobus humanis ex eius collo eminentibus, quibus Pater & Filius indicetur; supra caput aquilæ Columba pendet, Spiritus S. Symbolum. Enimvero Autor cætera nimis ingeniosus, quando nuptias Galilæas commendaturus memoriæ lectoris, citharam appendit aquilæ pectori; nummularios extra templum pulsos significaturus, tria marsupia subdidit citharæ; Nicodemum ad Christum noctu venientem per pedes aquilinos signat, & similia conquirat non sine risu, tantum apud nos non valeat, ut putemus, sobrios Christianos illius ævi credidisse, Ter-Sanctum Numen monstrosa ista imagine exprimi, aut sobrie ita concipiendum esse. (45) Infana Theologia est, quæ Deum sibi fingit, non ad formam in sacris paginis revelatam, sed ad cerebrum ac lubricinam ingenii sui. At Theologus illorum temporum, Thomas de conceptu Triados sacrosanctæ meliora nobis persuadet. (46) Nec male Ioh. Staupitius 1516. in Concionibus suis Norimbergæ habitis, tribus personis, æquali proportione radiantibus faciebus & elevatis dextris depictis, Trinitatem significavit. Monstro certe simile fuerat, in uno corpore tria capita, vel tres facies, easque quatuor duntaxat oculis, effigiare voluisse

(42) Becman, Hist. Anhalt. P. V. c. 5. 7. Schurtzfleisch. Opp. Hist. Diff. 46. (43) Laurent. in descript. urb. Cygn. (44) Cent. Magdeb. VI, pag. 413. (45) Imagines eius in Evangelistas. (46) Text. Sent. distinct. 24.

luisse imaginem Triados, cuius quidem sanctiorem profecto rationem habere oportebat, quum ut ornatus causa, & umbilico supponeretur testudinis, & ornamentis parietum lapideorum insereretur, aut alicui oneri ferundo substerneretur. Sic gloriosissimus Imperator Leopoldus An. 1679. sedata per Dei gratiam Austriacorum pestilentia, augustissima & tanto heroe dignissima statua Trinitatem, ad sempiternam posteritatis memoriam, celebravit. (47) Proinde corrui & hæc sententia vulgi, in dictis simulacris Cygneorum ad Trinitatem respexisse patres nostros.

Restat sententia vera. Dico igitur, formas lapideas in æde Mariana Cygnensium nihil aliud esse, quam ornamenta structuræ Mercurialia; quæ laudatus Serlius in Architectura sua formandum curavit. (48) Scilicet tenendum, Mercurium Ægyptiis, Græcis, Latinis, Celtis, postremo etiam Germanis innotuisse, ut communem universarum gentium Deum, ab Ægyptiis & Celtis Theuth, quod Græcum & Latinum Deus est, dictum. (49) Apud Ægyptios maximo in pretio fuisse, quod hanc gentem articulatus loqui, & scribendi legendique artificium & sacrificia & ritus sacros docuerit. (50) Græcis ut *εὐόδιον & ἡγεμονικόν*, i. e. bonum vialem & itineris ducem honorari solitum. Nam in omnibus triviis Mercurii tricipitis imaginem positam, additis lemmatis: Quo ducit hæc via? Quo illa? (51) Hinc iisdem Græcis, teste Svida, *τρικέφαλον*, tricipitem nuncupatum. Latinos illas statuas, quæ in agris iter monstrarent viatoribus, nominasse Mercurios. (52) Eoque iter facientes, lapidum acervos accumulasse, fructuumque primitias posuisse, quo viam terentes ex iis, quæ opus essent, caperent. (53) Gallos Mercurio, omnium fere artium, maxime mercaturæ inventori, præcipuum inter Deos honorem habuisse. Germanos eundem propterea celebrasse, quod, tanquam caduceatorem & internuncium Deorum, purgandis itineribus lapides, si quos reperiret, a viis eum segregare crederent; unde struis Hermæ & collium Hermæorum nomina, cuiusmodi Bremam inter & Fordam Præsulis arcem observat Schildius, (54) neque nostrorum superstitio ab eo more prorsus abhorret, alicubi lapidem, sarmentum, lignum, cespitem in locum occisi coniicientium. Præter acervos lapidum Mercurio sacros, quod in via indicanda præstaret vicem linguæ, Mercurio eidem sacratæ. (55) Irmenfula, quasi cum Reginone diceres, Hermanful, aut cum Sigeb. Gemblacensi, Hermensul, aut cum VVern. Rolevincio, Hermesul, aut cum Lup. de Babenberg, & Chronico Belg. magno, Hermensul, a Mercurio sic nuncupata, ut probabilius videtur Althamero, Crusio, Neandro, Pappo, Barthio, Lindembrogio, Becano, decantatissima erat armati apud Germanos effigies. Huius in sinistra, Libra, dubiam pugnantium sortem; in pectore ursus, interritos bellatorum animos; in clypeo leo, invictum ad fortia impetum insinuans, non videtur ad Mercurium, sed potius ad Martem pertinuisse. Enimvero Mercurius quoque in partes Martis veniebat, imperioque militari præficiabatur. (56) Itaque Mercurii simulacra in gentibus Germanicis frequentissima erant, quemadmodum Augustæ Vindelicorum statua eius ex lapide marmoreo superfuisse dicitur in ædibus Peutingerianis; (57) aliaque Althamero in Hello, Triboccorum vico, observata, & in Cœmeterio apud Tabernas Rhenenses duo Mercurii conspiciuntur. Transit interea, dum sic coleretur, Mercurii nomen & figura Hermathenæ, i. e. Mercurii & Minervæ effigies, naturæque Mercurialium in Chiromantia ingentem applausum sibi peperere, (58) sed & sculptores cæteri-

(47) Theatr. Europ. Tom. XIII. & XIV. (48) p. 406. (49) Viterbiensis super 5. Berosi. Mon-
 ranus ad Cæs. l. 6. De bello Gall. (50) Vossius Idol. l. 1. c. 27. (51) Chartarius l. c. p. 220.
 (52) Aurelius de cognominibus Deorum gentil. l. 1. c. 5. (53) Chartar. l. c. (54) l. c. l. 1. c. 3.
 (55) Vossius l. c. c. 32. (56) Schild. l. c. (57) in Antiq. Augustanis. (58) Ioh. Indaginis In-
 trod. in Chiromant. p. 25.

que artifices Mercurium sibi vendicaverunt. In gemmis annulorum Mercurium cum caduceo, hasta pura, talaribus, gallo gallinaceo, cum ariete & spicis exsculptum invenies in Daetyliothea Gorlæi, (59) Inter Typographos tricipitem Mercurium galeatum cum caduceo, duobusque brachiis sibi proprium, in tesseram officinæ suæ, elegit Basileensis ille Ioh. Hervagius (60) Tandem & cæmentarii variandis ornamentis suis Mercurialia capita elegere. Adeo Cygnei templi formas triformas recte ac vere decora Architectonica esse asserui. Dicis: Mercurius galeis tectus capita apud pictores æque ac statuarios sculptoresqueprehenditur. Hic vero nihil tale conspicerelicet. At nec potuerunt regi cassidibus Cygnei Mercurii. Nam prima imago frondibus iam; secunda pileo exornata; tertia nuda quidem in tribus capitibus, sed ut inspectio oculorum ostendit, proportio cum aliis decoramentis, in margine umbonis circa peristyllia, galeas illas alatas non permisit. Esto, instabis; Sed unde proluxa illa & hirsuta barba secundæ figuræ? unde pileus? Haud quidem hæc sapiunt Mercurium, sed Triglam, qva de Sabinus quoque diligentissimus Scriptor. (61) Pirrensisque in ponte Grimmensi 1525. suis oculis similem vidit. At quamvis imberbis esset Mercurius & sine pileo ut plurimum; sæpe tamen & barbatus & pileatus inducebatur. Lege, sis, Pausaniam, accuratissimum Historicum, eo loco, ubi Mercurium barbatum & pileatum describit: (62) vix ovum ovo similius tibi videbitur. Et si antiquum solummodo citasse parum sufficiat: Ecce tibi recentiori memoria Mercurium gemellum, tum barba, tum pileo, Ioh. Indaginis, (63) qui liber 1522. impressus est. Unicus adhuc fortassis, pungit te scrupulus, nempe, exterminavi ex sedibus Cygneis Triglam, novum autem Deastrum Mercurium in eius locum surrogavi. Surrogavi, non ut idolum, sed ut ornat structuras ædificantium. Minime ergo sic læditur Christiana religio, aut sanctimonia. Hactenus de Trigla Zvickaviensium simplicissime. Nunc ad id transeo, cuius gratia hanc interpretationem conscripsi. Nimirum Musis nostris dehinc tergum obvertent duo earum foëii,

I. Christianus Fridericus Ehius, Cygneus,

II. Iohannes Henricus Iob, Lipsiensis.

Ille patriam in oculis, naturali ductus charitate, præ se ferens, Inviçtissimorum Imperatorum Rom-Germanicorum; hic sese illi associans, Serenissimorum Electorum Sax. in hanc urbem olim collatas gratias, ac munificentia Imperatoria & Electoralis argumenta, ex historia patriæ depromta, valedictioni suæ præmissuri sunt. Abiturientibus faustis auspiciis succlamabit

Franciscus Carolus Conradi, Reichenbachio-Variscus.

Nostrum utiqve fuit, id pietatis & laudis opus programme præsentis intimare, Nobilissimisqve simul parentibus, Lipsiam virtute, probitate & imprimis pietate condecorantibus, applaudentes gratulari, quod filium nacti sunt talem, qui multum sanguini suo, non nihil industria suæ, omnia autem, præcipue tantorum parentum exempla, diviniæ debet providentiæ. Producat hunc surculum lætis germinibus pullulantem in auram atqve in arborem, cuius aliquando umbra pii omnes capiantur, reficiantur. Honestissimis quoque Cygneis parentibus merito gratulamur, quod multarum curarum, multorumqve desideriorum filium unicum e faucibus mortis, per Dei indulgentiam ereptum, atqve adhuc vivum, imo nunc Academia Candidatum videre contigit. Regat eum Deus sapientia & sanctitate sua, ut iura sancta sapienter & integra mente comprehendat, comprehensa sancte pieqve, si Deo ita visum fuerit, olim in foro vitaqve civili applicet, parentibusqve gaudio, patriæqve emolumento fiet! P. P. d. April Anno 1717.

(59) N. 175. 199. 398. 401. 502. 605. (60) Evolvantur Homerus, Basilius, Macrobius. Hyginus, Galatinus & alii ab eo editi. (61) In Meissn. Chronick. (62) In Achaicis, (63) l. c. pag. 24.

21770
756,27